

Quo ritu aurum sit oblatum in gradibus Basilice.

Legatis dispensata officia.

circum vos Magnatibus & nobilibus Officialibus & ministerialibus aulae nostrae. Aurum vero, quod Rex in eisdem gradibus Apostolico consuevit offerre post genuflexionem & deosulationem pedum, omittit illis, quas nulli vestrum faciat idem Rex, quia soli Romano Pontifici competunt & debentur, in eodem loco per eundem Regem nobis humiliter offeratur, ita dicente: Si Sanctissimus Pater Dominus noster Dominus Clemens Summus Pontifex esset hic praesens, sibi offerrem aurum istud praesentialiter: sed propter eius absentiam offero sibi, vobis Dominis Cardinalibus, eiusdem Domini Papae vice & nomine recipientibus aurum istud. Quo facto idem Rex existens in medio vestrum vobiscum veniat ad Altare Sanctae Mariae in Turribus, & cum ibidem fuerit publice in vestri praesentia recipientium vestro & Ecclesiae Romanae nomine, praestet idem Rex Sacramentum suo expresso proprio nomine de verbo ad verbum, prout superius continetur. Renovet autem Sacramentum per Procuratores suos praestitum suae approbationis tempore coram nobis, secundum tenorem supra descriptum: Et si in adventu suo in gradibus, ubi eidem obviabit, renovationem praedictam facere praeligeret, contentamur.

§. 17. Tu vero Frater Ostien. ut praemittitur, Missam celebres, & Regem praedictum inungas, prout in Ordinario continetur. Quod si te impediri contingat, hoc tu facias Albanen. & si ambo impediremini, hoc facias Sabinen. Episcopi. Letanias dicas tu Franciscan. si potes, Pluviali tamen induitur: Quod si te impediri contingat, tu Lucas hoc in eodem habitu exequaris. Orationem autem, quam dicere debet Prior Presbyterorum Cardinalium, Tu dicas Episcopo Sabinen. Quod si te impediri contingat, Tu facias Albanen. Quod si ambo impediremini, tu facias Ostien. Episcopi. Praestito autem in Cappella praedictae Sanctae Mariae de Turribus juramento, omnes remaneatis cum Rege praedicto praeter illum, qui Missarum solemniam celebrabit. Tu vero Albanen. orationem, quae Tibi dicenda competit, dicas loco & tempore debitis: Orationem vero, quam deberet dicere Portuen. Episcopus, si adesset, dicas Tu Sabinen.: Quod si te impediri contingat, tu suppleas Ostien. Receptio autem ad osculum inter Diaconos Cardinales post confessionem in Altari Beati Petri factam, quia soli Romano Pontifici competit & concurrens cum osculo pectoris omittatur. Vos autem universi imponatis Mitras suo modo Regi, suoque Reginae, prout in dicto Ordinario de Summo Pontifice continetur, & Diademata Regi & Reginae praedictis.

§. 18. Verba vero dicenda in impositione Diadematum, scilicet. Accipe signum gloriae, quoad Regem: Item: Accipe coronam Imperialis excellentiae, quoad Reginam: dicas tu Sabinen. Licet enim ratione Prioratus hoc tibi non competat, quia tamen in legatione nostram representas personam, hoc per te volumus adimpleri. Verba autem

praedicta dicas alte atque sonare, ita quod ab Assistentibus audiantur. Omnes vero vos alii verba eadem voce submissa dicatis sic, ut nequaquam audiri possitis, sicut in consecrationibus Praelatorum fieri consuevit per Coassistentes principaliter consecranti. Verba autem competentia in assignatione gladii, post sceptrum & pomum aureum ipsumque gladium, per Te Albanen. ac vos alios tradita, scilicet: Accipe gladium ad vindictam malefactorum &c. Et idem alta & sonora voce dicas & proferas Albanen. reliquis submissa voce eadem verba dicentibus, prout in Verbis impositionem Mitrarum & diadematum superius est expressum.

§. 19. Decantato autem Evangelio, Rex coronandus offerat aurum, quod ad pedes Romani Pontificis consuevit offerri, ad pedem majoris altaris, quod vos omnes nostro recipientis nomine Cardinales. Caetera vero solemniter peragantur cum omni solemnitate & honorificentia, prout in Ordinario continetur. Oblatio vero Calicis & Ampullae per Imperatorem jam coronatum, decantato Evangelio Corona & Manto depositis, more Subdiaconi Romano fienda Pontifici; & assistentia eidem fienda per Imperatorem, donec Romanus Pontifex ad Sedem propriam revertatur, quia soli Romano Pontifici competunt, omittatur. Idem tamen Imperator, si voluerit, Sacram coronationem de manu recipiat celebrantis, osculo tamen omisso. Quibus peractis, ad thalamum rediens in ambone resumat mantum pariter & Coronam. Processus autem ejusdem Imperatoris ad locum, ubi Summus Pontifex equitare deberet, & detentio stapedii selle ejus, & arrepto freno equi, cui Romanus Pontifex insideret, ad extratio, officiique stratoris exhibitio, quia solo Romano Pontifici competunt, & praesentiam ipsius exigunt corporalem, omittantur omnino. Reliqua autem solemnia, prout exprimitur in Ordinario, solemniter & honorifice compleantur.

§. 20. Quia autem ut ex praedictis apparet, multa observantiae, multaque solemnia, multaque reverentiae & honorificentiae, Romano Pontifici competentia, propter nostram absentiam omittuntur, protestamur & volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, nullum ex hoc juris vel facti Romanae Ecclesiae, ac nobis, nostrisque successoribus praedictum generari: quin cum casus Regis Romanorum in Imperatorem coronandi occurreret, omnia exhibeantur & fiant per Coronandos Romanis Pontificibus, sicut in forma, quae in Archivio Ecclesiae & Pontificali Ordinario continetur superius descripta, serius est expressum. Ad ejusdem autem Ecclesiae Romanae, nostrae, & successorum nostrorum conservationem juris atque cautelam, volumus per vos ab eodem tam Rege coronando, quam Imperatore coronato, expresse iis nostris protestationi & decreto consentiente, recipi patentes Literas quadruplicatas, de verbo ad verbum tenorem praesentium continentes, suo Regali primum Sigillo, ac postmodum sua Imperiali Bulla aurea communitas

Soli Pontifici exhiberi solita omitti iusta.

Exigit ab Henrico Clemens, ut promulgetur nil damni ex praetermissis Rom. Pontifici obventurum.

quas

Dat. die 21. Junii 1311. P. An. VI.

Ex Regest. Vatic.

Causae stabilendi numerum hujusmodi Scriptorum.

Mandatum de quo in Rubrica.

quas vos Albanen. Ostien. & Lucas, duo, aut alter vestrum Nobis aut Camerae nostrae fideliter assignetis.

Datum in Prioratu de Graufello prope Malauan. Vastonen. Dioecesis tertio decimo Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno VI.

XII.

Mandatum de reducendo numero Scriptorum sacrae Penitentiarie ad duodenarium.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Berengario Episcopo Tuficulano, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Dignum est, ut in Apostolicae Sedis officii determinatus ministrorum seu Officialium numerus habeatur: ne provisione careat superflua multitudo, vel ex paucitate opportunum eidem sedi servitium subtrahatur. Sane frequenter pro parte dilectorum Filiorum Scriptorum Penitentiarie nostrae fuit nobis expostitum, quod propter importunam instantiam plurimorum, quibus Sedes praedicta se exhibuit liberalem, eorum numerus adeo dicitur augmentatus, ut ipsi, qui ad praesens viginti unius vel circiter esse noscuntur, secundum eorum decentiam & laudabilem antiquam Romanae Curiae consuetudinem non possint de officii sui obventionibus commode sustentari. Quare ex parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum temporibus aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum idem scriptores in tanta multitudine non fuissent, sed eorum officium in decenti numero personarum, prout incumbentium agendorum exposcebat qualitas & utilitas, fuerat moderatum, providere super hoc de benignitate apostolica dignemur: Denique officium reduci ad duodenarium Scriptorum numerum mandavimus. Cum igitur nostrae intentionis existat, quod dicti Scriptores, qui nostri Officiales existunt, propter superfluum multitudinem non graventur; quinimo ad dictum duodenarium vel alium decentem redacti numerum juxta decentiam & consuetudinem praedictam commode valeant sustentari; considerantes, quod tam agendorum multiplicum qualitates & onera, quae variarum rerum producit continuata necessitas, quam dictorum scriptorum multitudo superflua ad non latent, sed te ipsa facti jam longa experientia docuit, quod in talibus secundum dictae Sedis decentiam debeat observari: Fratritatem tuam, de qua in iis & aliis fiduciam in Domino gerimus, specialem per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus, si eorumdem scriptorum officium, consideratis circumstantiis universis, quae in hoc fuerint attendendae, inveneris in hujusmodi multitudinem praegravatam, officium ipsum reducere ad ipsum duodenarium vel alium certum scriptorum numerum compe-

tentem juxta datam Tibi a Deo prudentiam, prout consideratis praemissis cognoveris expedire, auctoritate nostra procures: statuens & ordinans auctoritate praedicta, quod dictum officium deinceps praedicto numero sit contentum; nec ad illud de caetero aliquis admittatur, quousque sit ad praedictum numerum per te statuendum redactum, & aliquis defecerit de eodem: nisi forte multiplicium agendorum vel alterius causae necessitas aliud circa haec geri & statui in futurum per eisdem Sedis providentiam postulare.

Datum in Prioratu de Graufello prope Malauanam Vastonen. Dioecesis quarto nonas Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 4. Septembris 1311.

XIII.

Damnatio Sectae sub nomine libertatis spiritus, in Spoletana, aliisque diversis Italiae Provinciis exorta.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Raynerio Episcopo Cremonen., salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex eodem Regest.

Dilectus Domini & pacificus Solomon, post diversa, quae edidit opera, Spiritu Sancto inspirante, loquutus, ad extremum jam consummatum virum, & calcato saeculo preparatum, in cantico canticorum Sponsae vinxit amplexibus, & inspecturum locum in Libello praedicto tradidit, in quo amorem caelestium, divinarumque desiderium inducit animae sub specie ac mystico nomine Sponsae, & Sponsae, docens cantantis fervore ad Dei consortium perveniri: Licet ejus caetera cantica, quae lex & Prophetae diversimode cecinerunt, esse videantur, parvulae adhuc Sponsae, & quae nondum sit vestibula maturae & virilis aetatis ingressa: hoc tamen canticum canticorum, adulta jam Sponsae & valde robustae, & quae jam capax sit virilis potentiae perfectique Ministerii decantantur, adeo ut perfecta, & unius Sponsae, perfecta suscipiat verba doctrinae. Haec igitur Sponsa Vineae Domini Sabaot, quam ipse verus Paterfamilias sepavit virtutibus, & lapides haereseum ac spinas & vepres vitiorum elegit ex illa, & plantavit electam, in medio ejus edificans turrem munitissimis virtutum atque donorum, & tortular in ipsa extruens, discretionem dotando & muniendo contra vitia & peccata: vinea, inquam Domini Sabaot juxta Ezechielis vaticinium, plantata in sanguine super aquas multas: in sanguine, inquam, veri & immaculati Agni, cujus fructus & frondes creverunt ex aquis multis gentium diversarum, & facta sunt ei virgae solidae in scepra dominantium & exaltata est statura ejus inter frondes, & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum, & umbra ejus montes operuit, & arbuta ejus cedros Dei, extendens palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines suos, diversis patuit & patet insidiis ab exordio Abel

Proemium.

infi,



justi, sed in novissimis heu temporibus destruc- re nituntur materiam eius, & vindemiare eam omnes, qui prætergrediuntur viam: viam inquam, Catholicæ Fidei, & semitam mandatorum Dei: exterminare autem eam nituntur aper de sylva, diversa genera vitiorum immittens; & conatur depascere singularis ferus per infectiones & immisiones hæresum diversarum: propter quod clamare compellimur cum Propheta David: dixit enim in suis verbis idem Filius Isay, saltes egregius Domus Israel, per quem loquutus est Spiritus Domini, & per linguam suam Sermo ejus: Convertere Domine Deus Israel converttere, & respice de caelo & vide, & visita vineam istam; & perice eam, quam plantavit dextera tua. In supradicto autem Cantico Canticorum, de quo in principio non incompetens sermo occurrit, contra demolitores hujusmodi vineæ Spiritus Sanctus exclamat: capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas: nam vinea nostra floruit: harum vinearum custodem, vinearum, inquam, universarum per Orbem Catholicarum Ecclesiarum, quæ omnes thalamus unus Christi sunt, ex quibus Ecclesia una ex gentibus congregatur. Nos, licet immeritum, divina dispensatio statuit & præficit: Absit autem a Nobis, & repetendum iterum, absit, ut possimus dicere, seu Nobis competat verbum illud prædicti Cantici Canticorum: Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Custodienda est igitur a Nobis toto conamine vitis vera: immo custodiendi sunt palmites in vera vite silentes, ne convertatur in amaritudinem vitis aliena; & ex vinea Sodomorum fiant vites eorum, & palmites eorum ex Gomorra, & Botrus amaritudinis in ipsis, & venenum Draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis. Veri igitur custodis optamus & cupimus non perfunctorie officium gerere vinearum, virtutum & dogmatum scilicet divinarum, ex quibus per Fideles vinum hauriri possit & bibi, quod cor hominis lætificet; & vinea nostra, quæ floruit de virtute, refloreat in virtutem. Capi igitur eas præcipit sermo divinus, saluti & utilitati consulens animarum. Capi, inquam, & comprehendere, dum adhuc pusillæ sunt, ut obsetur errorum principis, & cum deceptores quasi vulpes cæperint Ecclesiam incurfare, Pastorum & Custodum dextris auxiliis sublevetur, & diligenti provideatur remedio: ne dispereat Mons Syon, & vulpes ambulent in eodem: Vulpes, inquam, fallaces, perversique Doctores, quos velut alter Samson verus Sol justitiæ Christus Deus noster per ministerium verorum fideliumque Doctorum verbo veritatis caudam ad caudam colligat, & adversantes sibi & diversa invicem sentientes docentesque confutet: ad quæ ex ipsorum verbis propositiones collectionesque accipiens in Philistinorum segetes ignem mittant consensum privum falsitatis, & elucidantur catholica veritatis: itaut ex eorum propriis argumentis omnes ipsorum amarus fructus, dolosæque vineas, & venenosæ oliveta pessime

Que cura Pontificibus inesse debeat de Ecclesia Universalis.

generationis incendat: Sicque congrue præcipitur & mandatur in Canticorum Canticis antedictis a Sponso suis sodalibus & Ministris, ut capiant & arguant hæreses, quæ insidiantur vineæ Domini, ne exterminent initia Fidei, floremque virtutum sub specie alicujus secretæ & occultæ scientiæ, quin potius fallaciæ, quæ ex Deo non est: quæ quidem hæreses quasi vulpes in foveis ita in iis omnibus, qui semet ipsos ad hæc festanda præbuerunt, delitescunt, & quo fallacius confutari possint & argui, dum sunt parvulæ, capi jubentur: nam fortasse si creverint & fuerint majores effectæ, multiplicabuntur & serpent ut cancer & jam ab amicis & Ministris sponsi capi forte nequibunt, sed ab ipso solo sponso apud quem non est impossibile omne verbum.

§.1. Nuper siquidem sicut dolenter audivimus, & grandi mentis punctura referimus in nonnullis Italix partibus tam Spoletanæ Provinciæ, quam etiam aliarum circumadiacentium Regionum nonnulli Ecclesiastici & mundani Religiosi & seculares utriusque sexus viri pestiferi, qui alienati ab utero Matris Ecclesiæ ac præclaræ fidei fundatæ supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, qui est solus vita & resurrectio nostra; molientes heu obnubilare nitentur, novam sectam novumque ritum a via salutis omnino degenerantem, etiam ipsis Paganis & animaliter omnino viventibus, odiosum, & ab Apostolica & Prophetica Doctrina & Evangelica veritate remotum, quem libertatis spiritum nominant: Hoc est ut quicquid eis libet, liceat, assumpserunt: Ut quicumque per fidem sanctorum civis fuerant & domestici Dei, fiant nec hospites & advenæ, abjecti de Domo Domini suis culpis & perniciosis erroribus & doctrinis, sed ut & ipsi dumtaxat pereant, non contenti nisi cœcorum ductores penarum socios habeant æternarum simul cadentes in foveis simplices animas astute decipiunt & eas in hujusmodi pestis mortiferæ professionem adducunt.

§.2. Nos autem more Patris benevoli, quem non prætereunt incommoda filiorum, ut reducamus abjecta, revocemus errata, vinumque infundamus & oleum vulneribus fauciat, quod infirmum est solidantes, & quod ægrotum sanantes, & quod contractum est alligantes, & quod perierat requirentes, nostræ considerationis convertentes intuitum solliciti reddimur, non immerito anxii scripturarum sacrarum arcana scrutantes, quoniam cum nos simus, in quos fines seculorum iuxta Apostolum devenerunt, sicut idem vas electionis & Doctor gentium, qui in celis dicitur, quæ prædicaturus erat in terris, annuntiat loquens ad Thimotheum, & statum novissimorum temporum aperte describens: Scito inquit quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemæ, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, crimina-

Novam in surgentem heresim deplorat.

Suamque sollicitudinem explicat.

to-

Hanc heresim ab Apostolo præsignatam ostendit.

S. Petri de hereticis hujusmodi oracula.

Vana illis libertatis exercitatio.

tores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, timidi, ceci, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & post pauca subjungit quemadmodum Jannes & Mambres magi utique & Aurioli Faraonis sub servitute egiptiaca Populum Domini opprimentes & figurantis ferocem illum Leonem gentium & Draconem Maris, Leonem rugientem, adversarium humani generis, sub servitute tenentem damnationis eternæ ex prothoplasti peccato genus humanum, resistunt Moysi, in quo & per quem lex Domini immaculata convertens animas misitice designatur, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente & reprobi circa fidem, sed ulterius non proficiunt.

§.3. Magis igitur & magis timendum nobis est & Populo Domini, cujus nobis est cura commissa & nobis in ipso, ne tam abominabilis Deo & hominibus pestis, quæ latenter videtur subripere, nimis periculose succrescat: Timendum utique ac toto animo formidandum, quantum sicut Princeps Apostolorum Petrus in canonica sua scribit, quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei: & idem novit Dominus pios de tentatione eripere: Iniquos vero in die Judicii cruciandos servare, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditæ ambulat, damnationemque contemnant, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt facere blasphemantes, statimque subjungit: Si vero velut irrationabilia pecora naturaliter in corruptionem, & in perditionem in iis, quæ ignorant blasphemantes in sua corruptione peribunt percipientes mercedem injustitæ, voluptatem extimantes Dei delicias conjunctionis, & macule delictis affluentes, in conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterio, & inaccessibili delicto pollicentes. Animas instabiles, cor exercitatum avaritia, habentes maledictiones filii derelinquentes rectam viam erraverunt. Expressiusque talium hæreticorum iniquorum reatum, & execrabilis pestis hujusmodi aperte subjungit: Superba vanitatis loquentes pellicunt in desiderii carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt qui in errore conversantur, libertatem illis permittentes, cum ipsi servi sint corruptionis, a quo enim quisque superatur, hujus servus est.

§.4. Oh libertas omni durior servitute: Oh libertas nec nominanda libertas: non utique illa summa libertas, in qua ejus servitus comprobatur, cui servire regnare est, cur non attenditur: cur non pensatur: cur non discutitur, quod Apostolus de hoc exclamat ad Galathas dicens: utinam abscindantur, qui nos conturbant: Vos enim in libertate vocati estis Fratres tantum ne libertatem in occasionem carnis detis: ex vestigioque subjungit, spiritu ambulat, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis: nonne tuba evangelica Filius tonitruæ, qui fluente Evangelii elevatus, ut aquila grandis

dis alarum magnarum plena plumis, & varietate de ipso sacri Dominici pectoris fonte potavit de hujusmodi apud nos erroribus futuris: proh dolor tanquam de jam factis in canonica sua loquitur manifeste dicens, qui habet spem in Deo sanctificet se, sicut ipse sanctus est, omnis, qui facit peccatum, iniquitatem facit, peccatum enim est iniquitas: scitis autem quod Deus apparuit, ut peccata tollerent, & peccatum in eo non est: omnis igitur, qui in eo manet non peccat, & omnis qui peccat non videt eum nec cognoscit eum: qui facit justitiam justus est: qui facit peccatum ex diabolo est, quando ab initio Diabolus peccat: apparuit autem in hoc Filius Dei, ut opera Diaboli dissolvat.

§.4. Nonne hunc ipsum spernendum errorem & abominandum, immo vesaniam Judas Frater Jacobi in sua Canonica expresse designat ponens more prophetico futura tanquam præterita dicens: subintroierunt homines impii, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium Dei nostri, gratiam transferentes in luxuriam, statimque subiungit: sicut Sodoma & Gomorra finitimæ Civitates simili modo exornatæ, & abuentes post carnem alteram factæ sunt exemplum ignis æterni poenam sustinentes, similiter isti, qui carnem quidem maculant, damnationem spernunt, maiestatem blasphemant, & infra: veh illis, qui in via Chaym abierunt, errore Balaam effusi sunt, contradictione, Chore perierunt. Ii sunt qui in epulis suis maculant se convivantes sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ circumferuntur a ventis, arbores autumnales infructuosæ bis mortuæ, eradica: Sydera errantia, quibus procella tenebrarum reservatur.

§.5. Cur igitur contristant Spiritum Sanctum Domini, cur blasphemant per tam horrendas insanias, cur dissimulant, quod scriptum est, qui peccaverit in Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Cum Job ipse testetur, vidi eos, qui operantur iniquitatem flante Deo periisse, & spiritu iræ suæ esse consumptos; cur carnis illecebras sub spiritu tegmine palliant, quas constat in eodem spiritu condemnari. Cum enim Apostolus fornicatorem Corinthum excommunicandum scriberet, ait: ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est. In nomine Domini Nostri Jesu Christi congregatis vobis cum meo spiritu, & cum virtute Domini Nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum Carnis, ut Spiritus salvus fiat. Non est igitur a Spiritu Domini talis libertas: Nam incoinquinatus Spiritus Domini & suavis, humanus, benignus, animans bonum, & qui nihil benefacere vetet: In Spiritu enim Domini peccatum dimittitur non peccatur: sed talis libertas est a spiritu tenebrarum, a spiritu malo, qui vexabat Saul, spiritu immundo, qui egrediens ab homine impellit eum assumere septem, alios spiritus nequiores se colubro tortuoso, qui & tortuose incedit, & tortuose suadet incedere suos spiritu cum invidia, mors introivit in Orbem Terrarum spiritu Diaboli, qui nunc ut aspis, nunc ut basiliscus venena diffundit, ut leo devorat, insidiatur, ut Draco spiritu

Que vera sit Evangelicalis libertas.

Dr. Juda Ap. adversus impuros hujusmodi sectarios sententia.

Spiritus S. impure libertatis auctore esse non posse deus ostendit.

Sed demum esse ostenditur.

S

ita



inquam illius, qui projectus est, est Drago magnus, & Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, qui seducit orbem suis seductionibus universum, spiritui inquam illius, qui persecutus est Mulierem Dei Ecclesiam, quæ peperit masculum operis virtuosi, postquam Mulierem ex ore suo Aquam magnam tanquam flumen immittit, ut a flumine atrahatur spiritus erroris, cui divino iudicio acquiescere permittuntur, qui non crediderunt spiritui veritatis. Hic est ille spiritus, qui libertatem male agendi suis satellitibus, & sequacibus repromittit; Sed devictus est, & vincitur in Sanguine Agni; quia vicit Leo de Tribu Juda aperire librum, & solvere signacula eius, de quo triumpho tres pueri tres ordines in unitate Fidelium denotantes benedicunt & laudant, & superexaltant ipsum in sæcula, qui eripuit Nos ab Inferis suo sanguine redimendo, & salvos fecit de umbra mortis, & liberat Nos de medio ardentis flammæ devorantium hæresum, & de medio Ignis vitiorum corruptentium eripuit Nos.

Episcopo Cremonensi, ut contra huiusmodi hæreticos legibus agat de mandatur.

§. 6. Ex prædictis igitur nec immerito sollicitatur ex intimis sollicitudine indefessa, quod pestis huiusmodi de Dei Ecclesia penitus abscindatur, & pereat, exterminetur radicibus, nec nominetur in Populo Christiano. Te igitur, de cuius prudentia, & circumspectione confidimus, ut evellas & destruas, ædifices, & plantes, ac omnia facias, quæ ad eradicationem erroris huiusmodi, & edificationem salutiferæ Fidei expedire putaveris ad partes illas decrevimus destinandum. Quocirca Fraternitatem tuam obsecramus in Filio Dei Patris, & nihilominus Tibi per Apostolica scripta mandamus, in remissionem peccaminum injungentes, quod ad prædictas partes in Dei nomine proficiscens auctoritate nostra sussultus, nec dignitati, nec statui, nec Religioni, nec sexui, nec ætati deferens plusquam Deo, de præmissis inquiras cum summa diligentia veritatem, & si quos cujuscumque dignitatis Ordinis Religionis conditionis aut status extiterint, hujus erroris labe resperfos inveneris, juxta datam Tibi a Domino gratiam ut ad Cor redeant, oculos ipsorum aperias, & ne in umbra ambulent, increpando corrigas, & corrigendo reducas, & abjurata prorsus hæresi ab eisdem & imposta ipsis salutari penitentia juxta morem reconciliatis Ecclesie secundum formam ejusdem beneficium absolutionis impendas.

In respicientibus clementiam, in pertinaces severitate utatur.

§. 7. Quod si eos quod abist, vel eorum aliquos peccatorum moles præponderans in laqueum desperationis adduxerit, nec proficere Te senseris apud eos, tunc fretus Christi potentia velut ad commune restringendum incendium te accingas, & contra eos & ipsorum quemlibet sub modis & forma justitia mediante procedas, quibus procedi in casibus huiusmodi consuevit. Non obstantibus quibusvis privilegiis, indulgentiis, & literis, personis, vel ordinibus ipsis aut ipsorum aliquibus sub quacumque forma, aut expressione verborum ab Apostolica Sede concessis, quæ cujuscumque tenoris existant quomodolibet contra tenorem præsentium cuiquam nolumus suffragari In-

vocato ad id si opus fuerit auxilio Brachii secularis: contraditores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita comescendo. Cæterum ad prosequendum viriliter causam Dei ad sui laudem nominis, & exaltationem Catholicæ Fidei sic te gerere studeas in præmissis, quod in futuro dignam tibi præpares pro labore mercedem, & nostram, & Apostolicæ Sedis benedictionem & gratiam uberius merearis.

Datum Avinioni Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 8. Aprilis 1311. P. An. VI.

XIV.

Damnatio Militum Templariorum, cum bonorum totius Ord. applicatione Ordini Militum Hierosolymitanorum.

Hanc promulgavit sententiam iste Pontifex (ut hic patet) in Concilio Viennensi, quod hæc & aliis de causis fuerat indicium.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

AD providam Christi Vicarii præsentis in specula Apostolica dignitatis circumspectionem pertinet, vices persanare temporum emergentium, negociorum causas discutere, ac personarum attendere qualitates: ut ad singula debitum dirigens necessariæ considerationis intuitum, & opportune manum operationis apponens, de agro Domini sic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplifcet: sic prævaricantium spinas tollat, ut evellendo plus plantet quam destruat, & in loca vacua per eradicationem nocentium tribulorum, devota Deo plantamina transferendo potiore præbeat, de provisa & utili eorum locorum unione & translatione, letitiam, quam vera Justitia, quæ compassionem habet, doloris intulerit detrimentum personarum, & locorum huiusmodi per ruinam, sic enim susserendo, quod officit, & subrogando, quod proficit, virtutum profectus amplifcat, & sublata de medio meliori subrogatione restaurat.

Proemium.

§. 1. Dudum siquidem Ordinem Domus militiæ Templi Hierosolymitani, propter Magistrum, & Fratres, ceteraque personas dicti Ordinis in quibuslibet Mundi partibus consistentes, variis, & diversis non tam nefandis, quam infandis (proh dolor) errorum & scelerum obscenitatibus, pravitatibus, maculis, & labe resperfos, quæ propter tristem, & spurcidam eorum memoriam præsentibus subicimus, ejusque Ordinis statum, habitum, atque nomen, non sine cordis amaritudine, & dolore, sacro approbante Concilio, non per modum definitivæ sententiæ, cum eam super hoc secundum inquisitiones, & processus super his habitos, non possemus ferre de jure, sed per viam provisionis seu ordinationis Apostolicæ, irrefragabili, & perpetuo valitura sustulimus

Sententia per viam provisionis contra hunc Ordinem data.

san-

sanctione, ipsum prohibitioni perpetuæ supponentes, districtius inhibendo, nequis dictum Ordinem de cætero intrare, vel ejus habitum suscipere, vel portare, aut pro Templario gerere se præsumeret, quod si quis contrafecerit, excommunicationis incurreret sententiam ipso facto. Universa etiam bona Ordinis præhabiti Apostolicæ Sedis ordinationi, & dispositioni, auctoritate Apostolica duximus reservanda. Inhibentes districtius, ne quis cujuscumque conditionis, vel status existeret, se de personis vel bonis huiusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præjudicium Ordinis, seu dispositionis Apostolicæ per Sedem eandem, ut præmittitur, faciendæ, aliquid faceret, innovaret, vel etiam attentaret, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac postmodum ne dicta bona, quæ dudum ad subsidium Terræ Sanctæ, & impugnationem Inimicorum fidei Christianæ a Christi cultoribus data, legata, concessa, & acquisita fuerunt, debita gubernatione carentia, tamquam vacantia deperirent, vel converterentur in usus alios, ad quos fuerant pia devotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis, & dispositionis huiusmodi eorum destructio, vel dilapidatio sequeretur, cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatibus, ac etiam cum nonnullis excellentibus, & illustribus personis, cum reliquorum quoque absentium Prælatorum, & etiam Capitulorum, & Conventuum, Ecclesiarum, & Monasteriorum Procuratoribus in dicto Concilio constitutis, habuimus ardua, morosa, & diversa consilia, & tractatus: ut per huiusmodi consiliorum, & tractatum de liberationem præhabitam diligentem, dictorum bonorum ordinatio, & dispositio, ad honorem Dei, augmentum fidei, exaltationem Ecclesiæ, dictæ Terræ subsidium, salutem quoque fidelium, & quietem, salubris & utilis perveniret. Post quæ utique longa, præmeditata, provisa, & matura consilia, suadentibus plurimis justis causis, nostra, & dictorum fratrum, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum, ac excellentium, & illustrium, personarum prædictorum in dicto Concilio tunc præsentium deliberationes, & consilia in hoc finaliter resederunt, ut prædicta bona Ordini Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, & ipsi Hospitali, ac dilectis filiis Magistro, & fratribus Hospitalis ejusdem, nomine Hospitalis, & Ordinis eorundem, qui tamquam athletæ Domini pro defensione fidei, se periculis mortis ingerit exponentes, onerosa nimis, & periculosa dispensanda continue performerent in partibus transmarinis, in perpetuum venirent.

Ejusdem bona Milibus Hospitalis S. Joannis Hierosolym. applicata.

§. 2. Nos igitur inter cætera mundi loca, in quibus vigere dignoscitur observantia regularis, dictum Ordinem Hospitalis, & ipsum Hospitali sinceræ caritatis plenitudine profectentes, ac attendentes, quod sicut evidentiæ facti in eo divinis obsequiis ferventer instituitur, pietatis & misericordiæ opera vigilantibus Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

us studiis exercentur, fratres Hospitalis ipsius mundanis spretis illecebris, devotum impendentes Altissimo famulatum, ac pro recuperatione Terræ prædictæ, tamquam intrepidi Christi pugiles, ferventibus studiis, & desideriis intendentes, quælibet ducunt humana pericula in contemptum. Considerantes quoque, quod ex hoc tanto eorundem Magistri, & fratrum dictorum Ordinis, & Hospitalis crescit strenuitas, animorum fervor augebitur, & ipsorum roborabitur fortitudo, ad propulsandas nostræ Redemptoris injurias, & hostes ejusdem fidei conterendos, quanto ipsorum potentia in opulentioribus facultatibus augmentata, onera, quæ prosecutionis tanti negotii necessitas exigit, levius, & facilius poterunt supportare. Et propterea non indigne vigiles redditi, studiisque sollicitis excitati, ut ad sui status augmentum, opem, & operam impendamus, eodem sacro approbante Concilio ipsam domum militiæ Templi ceteraque domos, Ecclesias, Cappellas, Oratoria, Civitates, Castra, Villas, Terras, Grangias, & loca, possessiones, jurisdictiones, redditus atque jura, omniaque alia bona immobilia & mobilia, vel sese moventia, cum omnibus membris, juribus, & pertinentiis suis, ultra, & citra mare, ac in universis, & quibuslibet Mundi partibus consistentia, quæ ipse Ordo, & dicti Magister, & fratres ipsius Ordinis militiæ Templi tempore, quo ipse Magister, & nonnulli ex eisdem fratribus militiæ Templi in Regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octavo, mense Octobris, per se, vel quoscumque alios, habebant, tenebant, possidebant, vel ad eosdem domum, & Ordinem militiæ Templi, & dictos Magistrum, & fratres ipsius Ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant, necnon nomina, actiones, & jura, quæ dicto tempore captionis ipsorum eisdem domui, Ordini, vel personis ipsius Ordinis militiæ Templi, quocumque modo competeant, vel competere poterant, contra quoscumque cujuscumque dignitatis, status, vel conditionis existerent, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, & libertatibus, quibus præfati Magister & fratres dictorum Domus, & Ordinis militiæ Templi, & ipsa Domus, & ordo per Sedem Apostolicam, vel per Catholicos Imperatores, Reges, & Principes, & fideles alios, vel quocumque alio modo erant legitime communiti, eidem Ordini Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, & ipsi Hospitali donamus, concedimus, unimus, incorporamus, applicamus, & annectimus in perpetuum, de Apostolicæ plenitudine potestatis.

Excipientur bona hic enunciata, quæ dispositi in Sede Ap. Reservantur.

§. 3. Exceptis bonis quondam dicti Ordinis ipsius militiæ Templi consistentibus in Regnis, & Terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Majoricarum Regum Illustrium, & extra Regnum Franciæ, quæ a donatione, concessione, unione, applicatione, incorporatione, & annexione prædictis specialiter excipienda duximus, & etiam excludenda, ea nihilominus dispositioni, & ordinationi Sedis



Apostolicæ reservantes, inhibitionem dudum per alios processum nostrum factam, ne quis videlicet cujuscumque conditionis, vel status existeret, se de personis, & bonis hujusmodi aliquatenus intrumitteret, vel circa ea in præjudicium ordinationis, seu dispositionis Sedis ejusdem faciendæ de illis, nec non decreti nostri interpositionem, quoad personas, & bona in dictis Regnis, & Terris eorundem Regum proxime expressorum consententia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de personis, & rebus prædictis in eisdem Regnis, & Terris consententibus per dispositionem Sedis ejusdem fuerit aliter ordinatum.

Occupatores dictorum bonorum in illicitum anathema.

§. 4. Occupatores quoque dictorum bonorum, aut illicitos detentores, cujuscumque status, conditionis, excellentiæ, vel dignitatis extiterint, etiam si Pontificali, Imperiali, vel Regali præfulgeant dignitate, nisi infra unius mensis spatium, postquam super hoc per dictos Magistrum, & fratres ipsius Hospitalis, vel ipsorum quemlibet, aut Procuratorem, seu Procuratores eorum fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, illaque plene, ac libere restituerint Ordini ipsius Hospitalis, & eidem Hospitali, aut Magistro, seu Prioribus, vel Præceptoribus, aut fratribus Hospitalis ejusdem, in quibuscumque partibus & Provinciis constitutis, eorumque singulis, vel procuratori, seu procuratoribus eorundem ejusdem Ordinis ipsius Hospitalis nomine, etiam si dicti Priores, Præceptores, & fratres ipsius Hospitalis, & Procuratores ipsorum, & eorum quilibet a dicto Magistro ipsius Hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo Procuratores prædicti, a dictis Prioribus, & Præceptoribus, vel eorum singulis, in Provinciis, & partibus, in quibus huiusmodi Priores, & Præceptores extiterint deputati, mandatum super hoc habuerint, vel ostenderit speciale. Qui omnes, & singuli, videlicet Priores, & Præceptores, & fratres dicto Magistro, procuratores vero prædicti eisdem Prioribus, & Præceptoribus, eorumque singulis, a quibus super his fuerint deputati, plenum super omnibus gestis, actis receptis, & procuratis per eos quomodolibet in hac parte, computum & rationem ponere, & reddere teneantur, necnon omnes, qui scienter occupatoribus & detentoribus prælibatis in occupatione, vel detentione huiusmodi dederint consilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte, excommunicationis; Capitula vero, Collegia, seu Conventus Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Universitates Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & ipsas Civitates, Castra, Villas, & loca, quæ in his culpabilia extiterint, ac etiam Civitates, Castra, & loca in quibus detentores, & occupatores huiusmodi dominium obtinuerint temporale, si huiusmodi Domini temporales in dimittendo bona prædicta, & restituendo illa Magistro, & fratribus, Ordinis, & Hospitalis ejusdem, nomine Hospitalis ipsius, obsequium adhibebunt, & infra dictum mensum ab huiusmodi præmissis non destiterint, postquam super hoc ut præmittitur, fuerint requisiti, ipso facto interdicti sententiis decernimus subiacere, a quibus absolvi non possint, donec super his plenam, & debitam satisfactionem curaverint exhibere. Et nihilominus occupatores, & detentores huiusmodi, vel præstantes eisdem, ut præmittitur, auxilium, consilium, vel favorem, sive singulares personæ sive Capitula, Collegia, seu Conventus Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac Universitates Civitatum, Castrorum, Terrarum, vel aliorum locorum extiterint, præter penas præscriptas, omnibus, quæ a Romana, vel aliis Ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, ipso facto decernimus fore privatos, sive privata. Ita quod ad Ecclesias, ad quas spectant, illa libere sine contradictione aliqua revertantur, earumque Ecclesiarum Prælati, sive Rectores de ipsis pro sua voluntate disponant, sicut utilitati Ecclesiarum ipsarum viderint expedire.

§. 5. Nulli ergo &c nostrorum donationis, concessionis, unionis, incorporationis, applicationis, annexionis, reservationis, inhibitionis, voluntatis, & constitutionis infringere, &c. Dat. Viennæ, 6. Nonas Maii, Pont. Nostri Anno 7.

Dat. die 2. Maii 1312. P. An. VII.

XV.

Canonizatio S. Petri de Murrone Summi Pontificis Romani, Coelestini Quinti nuncupati, ejusque relatio in Catalogum SS. Confessorum, cum festivitatis institutione, pro die 19. mensis Maii.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, aliisque Ecclesiarum Prælati, ad quos literæ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUI facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero Dei Filius, increata Sapiencia, Verbum Patris: qui olim a principio una cum Patre & sancto Spiritu ex se ex nihilo mundum efficiens dispositione suavi convertit, produxit omnia secundum gradus suis naturis congruos; coelum replevit Angelis, hominem ad imaginem suam factum perfundendo gratia, sydereis mansionibus dignum fecit.

Exordium.

§. 1. Novissime diebus istis, antiqua innovando signa, immutando mirabilia, stupendum, mirandumque opus ipse fecit Altissimus, gloriam majestatis divinæ clamans altissime: perfundens sponfam suam Ecclesiam novo genere gaudiorum. Ecce namque novi Confessoris insignia Mundo prodeunt: præclara merita Mundi defluentis viatoribus patefiunt, sanctitatis ejus magnitudinem grandia miracula proloquuntur, quæ ipsum probant indubiè in deliciis paradisi juxta secreta Dei cubacula plenam habere requiem post laborem. Et recte quidem. Nam qui in terris non cessavit magnifice de virtute progredi in virtutem, dignum esse cognoscitur, qui in cœ-

S. Petri merita, & virtutes.

lis

lis terras rerum spirituum agmina exultant in gaudio: dum vir sanctus solari fulgore coruscus ipsis inferitur, & de ipso portante gloriam, sacratu horum numerus, quem cadentium ruina minuerat, integratur. Applaudunt & cœli, cum ei gradienti in virtute sursum patulum præbent iter, ipsi regnanti Deus in ipsis ætheream sedem parat. Plaudat ergo & jubilet canora voce sponsa Christi mater Ecclesia, dum quem genuit unda baptismatis, & aluit ubere piæ matris, quem & patrem in Mundo habuit & pastorem, letabunda gloriosum mittit ad superos, cum de se horto irrigato divinitus, ipsum ut liliu candoris nivei, vernantem rosam odoris eximii, festive divinis conspectibus representat.

Eisdem Patris, & Paginae.

§. 2. O quam felix es Provincia Terræ laboris, quæ probaris talem & tantum produxisse palmitem, inherentem firmissime Christi viti, cujus propagines odore miræ sanctitatis diffuso, extenduntur usque ad fines orbis, ejusque ex uvis expressus vini liquor devotorum corda letificans, ad amorem Dei mundanorum mentes allicit & inflammat. Sane B. Petrus, de prædicta Provincia Terræ laboris traxisse fertur originem, ex honestis parentibus, catholicis, & devotis.

Vita aspera in Erempo.

§. 3. Hic edoctus cum Tobia Deum timere ab infantia, & abstinere a vitiis, illecebras Mundi considerans, quæ plerumque humanas mentes dum leniunt, vulnerant, vinciunt, & captivant, positus in ætate adhuc tenera, sed sub corpore fragili viri animum secum habens, antequam seculari quicquam ejus illaberetur animo, fugam prudenter at-tendens, cum Baptista Joanne, eremi secreta petiit, ubi remotus a noxiis, solus posset suo vivere Creatori. Quanta autem inibi in locis solitariis, horridis, & aridis, & fere hominibus inaccessis, vestium asperitas, quanta victus parsimonia, quantisque vigiliis & orationibus, quotve aliis afflictionibus maceraverit carnem suam, ne delicate nutrita proterviens feviret in spiritum, non posset lingua faciliter seu breviter explicare. Hoc vir sanctus idcirco consulte & provide faciebat, quod excussa & attrita palea suæ carnis, ejus spiritus innocens, ut purgatum & mundum triticum, reponi dignus esset in horreo cœlesti.

Cilicium aliis que Carnis macerationes.

§. 4. Ut autem ad ædificationem Christi fidelium saltem pauca exprimentur de multis, quæ sint velut informativa quedam exemplaria vitæ nostræ; ipse, sicut pluribus & fide dignis testimoniis est probatum, vestium splendorem ac levitatem despiciens, in quibus amatores hujus sæculi delectantur, ciliciis de pilis equorum factis, reticulatis pariter & nodosis, vestibus quoque aliis vilibus multum & asperis tegebatur. Ad nudam quoque carnem catenam ferream, & circulum, quandoque ferream deferrebat. Lecti etiam, mollitiem declinans (ne caro petulanter lascivens noxie moliretur in spiritum) in terris, aut nudis tabulis dormiebat, vel in cancellatis craticulis, vestitus cilicio, & pannis solitis, præinctus lumbos catena ferrea, aut circulo. Pro pulvinari vero, ligno aut lapide, seu du-

rare alia utebatur, & (quod importabile est) sanus vel infirmus lectis aliis non est usus.

Carnibus nunqu usus.

§. 5. Studens etiam pro viribus domesticum domare hostem, ne prevalere posset spiritui, nec sanus nec infirmus carnibus vescelatur. Vinum vero non bibebat nisi rarissime, sic tamen dilutum, ut videretur vini speciem non habere.

Ejus jejunia.

§. 6. Semper quoque, nisi diebus dominicis, jejunabat. Sex nihilominus quadragenas singulis annis faciens, mentem non ventrem reficere cupiendo, affligebat in ipsis solito durius carnem suam. O stupenda & aliis insecta rerum materies, cernere hominem in carne degentem mortali, & fragili, sub tam austeræ & longæ macerationis pondere non cadentem, in tribus namq. quadragenis, in pane & aqua jejunabat continue, & quandoque cum solis foliis caulium absque pane. Interdum autem, solis pomis, vel castaneis, seu granis fabarum mollificatis in aqua, aut crudis rapis tantummodo vescelatur. In ceteris vero quadragenis, uno tantum ferculo utebatur, insipido tamen & in modica quantitate. In harum vero quadragenarum aliquibus (quod nature humani corporis est horror) usus est pro veste solo cilicio. In quibusdam vero, cilicio, & super ipsum lorica cujus pondere caro ejus per subintrantes nodos cilicii, ut testantur ejus socii, aliquotiens distumpebatur. Et revera hæc in homine isto sancto supra hominem gerebantur. Ad hæc enim ferenda tam gravia virtus humana non videtur posse sufficere, sed divina potius in ipso habitans hoc gerebat.

Et austeritates in quadragenis.

§. 7. Hic beatus vir jam mortificatis spiritu carnis desideris & repressis, summe devotus Deo, orando assidue animum ad Deum tenuit firmiter elevatum. Ipse etenim ad matutinas laudes media nocte surgebat, ipsique dictis, legebat Psalterium cum Litanis & collectis, quam pluribus, ac crebris genuflexionibus & disciplinis duris, carnem suam cum vitiis concupiscentiæ crucifigens: In aurora vero, Missa per ipsum celebrata iterum devote incipiens ibi Psalterium, ubi dimiserat, orare usque ad horam tertiam non cessabat.

Constat preces ad Deum.

§. 8. Ne autem ipsum reperire posset diabolus otiosum, laborabat propriis manibus, scribendo, vel suendo cilicia, seu faciendo aliud opus honestum & utile ab hora tertia usque ad nonam. Post cibum denique sumptum usque ad noctem profundam perseverabat cum Deo, ab oratione fervente spiritum non relaxans.

Laborem suum vacat.

§. 9. Morum etiam honestate venustus, odore suæ sanctitatis vitæ communiter jam disperso, ad suum multos attraxit aspectum, & quamplures oberrantes per vitiorum abrupta reduxit ad Deum suis sanctis exhortationibus & exemplis. Nec mirum, nam ipsum reddebat cunctis communem caritas, obedientia promptum, placidum humilitas, pietas patientibus coassilium, decorum puritas, parsimonia mirabilem, honestatis maturitas reverendum, benignitas hilarem, constans quoque virtus animi in adversis & prosperis uniformem.

Suo exemplo alios ad bonam frugem Revocat.

§. 10. Denique vir sanctus cupiens divinum am-



Congregatio- nem Monachorum instituit.

ampliare cultum, Congregationem Meniti- cam sub B. Benedicti Regula, superadditis ei statutis arctissimis, ordinavit, ubi fratrum suorum Deo famulantium adaucta multitudine numerosa, fundatisque locis non paucis, in quibus CHRISTUS JESUS ab ipsis jugiter laudaretur, vixit cum eis cunctis florens virtutibus, ac eximia sanctitatis operibus informans & reformans universos.

Summus Pontifex eligitur.

§. 11. Verum quia non erat expediens, quod tanta sanctitatis odor in solo uno Mundi angulo sentiretur, sed potius quod ad edificationem cunctorum fidelium, circumquaque per mundum promptius spargeretur, dispensatione provida ad summum Pontificatus apicem est proventus. In quo totum idem ipse manens, qui fuerat sub præcelsa dignitatis habitu, nec vitam Eremiticam, quantum fas servare fuit, nec animum derelinquens, novit inter epulas esse sibi summe austerus & abstinens, inter amplas divitias summe pauper.

Ab eodem se abdicat.

§. 12. At vero hic vir habens simplicitatis miræ, & in spectantibus ad regimen universalis Ecclesiæ inexpertus, utpote qui a teneris annis usque ad senium elongatus a Mundo, cor suum mundanis rebus non accommodaverat sed divinis, reflectens prudenter suæ considerationis intimæ oculum ad seipsum, honori Papatus cessit & oneri libere & ex toto, ne ob prædicta posset ex suo regimine, quodcumque periculum universali Ecclesiæ provenire, & ut turbativa Marthæ sollicitudine declinata, vacare posset secus pedes JESU contemplationis ocio cum Maria.

§. 13. Post hæc itaque divinæ vacans contemplationi, assidue usque ad ejus obitum, quo beata illa anima carnis evasit ergastulum, cœlos petens, sanctissimam vitam duxit.

Multis elaret miraculis.

§. 14. Et quia multum conveniens erat, quod ille, quem Deus in mente perfunderat tot & tantis carismatibus gratiarum, clarus Mundo colendusq. divinæ virtutis testimoniis appareret, non defuere divina miracula in quolibet statu suo, ante Papatum videlicet, in Papatu, ac etiam post Papatum, in ejus vita pariter & post mortem, voce clamorosa proloquuntia ipsius imitandam cunctis eximiam sanctitatem. Ut autem hoc Jesu Christi fidelibus amplius notum fiat, aliquot miracula ipsius meritis de quampuribus exprimere possemus, quæ accidisse veraciter certis testimoniis sunt probata.

Cæcæ mulieri restitutus visus.

§. 15. Mulier quædam ex infirmitate gravi sic cæca omnino effecta, ut juvari non posset per quæcumque adhibita remedia medicinæ, portata ad locum Eremiti ubi frater Petrus tunc temporis morabatur, cum se signasset quadam parva cruce lignea, quam idem frater Petrus per servum suum ei transmiserat, & eandem ad oculos applicasset, perfecte statim visibiliter est curata.

Amens sanatus.

§. 16. Quidam factus ita furiosus & amens, ut ne seipsum aut alios offenderet, funibus & catenis ferreis ligaretur, adductus ad dicti fratris præsentiam, cum comedisset, de pane sibi per ipsum exhibitio, sic est curatus perfecte, ut de dicta infirmitate nihil ulterius umquam senserit.

§. 17. Puella etiam quædam, quæ fistulam tam gravem habebat in pede cum aperturis pluribus, ut de perditione pedis a medicis timeretur, portata ad ipsum, & facto per eum super plagam ter signo sanctæ Crucis, statim sanata est, ita ut post dies paucos non apparuerit in dicto pede aliquod infirmitatis prædictæ vestigium, vel cicatrix.

Puella fistulam.

§. 18. Quædam mulier, quæ sic vehementer gravabatur infirmitate ethica, ut de ejus vita desperaretur a medicis, nec pro necessitate quacumque absque plurium adjutorio de loco posset se movere, cum quiesceret per horæ spacium sub quodam panno lineo, quem per patrem dictæ infirmæ miserat frater Petrus, statim sanata surrexit.

Ethicam.

§. 19. Quidam etiam strophulam grossam ad quantitatem ovi gallinæ in manu per quinque annos habuerat; benedictione facta per ipsum Sanctum super infirmitatis locum, fuit, post morulam modicam, sanatus totaliter & perfecte.

Homini cuidam strophulam.

§. 20. Cum etiam summi Pontificatus culmine præmineret, quædam mulier, quæ vi morbi per annos quatuor per totum corpus extiterat crocea & inflata, quæ etiam operari quicquam non poterat, nec absque gravamine notabili ambulare, delata ad locum, per quem erat frater Petrus tunc Summus Pontifex transiturus, & benedicta ab ipso, restituta est illico pristina sanitati.

Croceam, & inflatam mulierem.

§. 21. Alia quædam mulier sic contracta in omnibus membris suis, ut nec ambulare posset, nec mutari de loco ad locum, nisi ab alio portaretur, posita secus viam, per quam ipse frater Petrus tunc transitum faciebat, & data super ipsam Crucis benedictione, per ipsum, fuit perfecte continuo liberata.

Aliam contractam.

§. 22. Postquam renunciavit Papatu, cuidam, qui ex toto pene visum perdidit, cum se ipsi fratri Petro præsentasset, superducta quadam parva Cruce lignea oculis patientis restituit integrè statim visum.

Pene cæcum sanatum.

§. 23. Denique ut in ejus obitu suæ Sanctitatis lucidæ divinum testimonium non deesset, de ipsa Cruce, quam summe dilexit, & lumine, fecit Deus signum mirabile apparere. Etenim tempore mortis suæ apparuit Crux parva & fulgida in medio ostii cameræ in qua erat, quæ ad modum vertiginis se volvens, continuo permansit divinitus suspensa in aere, quoadusque corpus ejus de ipsa camera est translatum.

In ejus obitu Crux apparuit.

§. 24. Sed & post obitum viri sancti quidam sic est percussus paralypti, ut nec ambulare, nec stare, nec loqui posset quoquomodo: ductus ad locum ubi frater Petrus poenitentiam facere consuevit, & catena quadam, quam portasse ad carnem nudam dicebatur dum viveret, apposita patientis collo & capiti, & cæteris membris ejus, fuit statim penitus liberatus.

Paralyticus.

§. 25. Quidam qui vires ambulandi ac standi, usumque manus perdidit, ductus ad Ecclesiam, ubi dicti Sancti corpus jacet reconditum, & pernoctans cum animi devotione in eadem, sensit se mane totaliter a dicta infirmitate liberatum.

Viribus destitutus sanatus.

§. 26. His

§. 26. His & aliis quam plurimis miraculis gloriosis mirificavit Dominus sanctum suum, & clarum mundo reddidit, ac colendum. Gaudens itaque plaudat mater Ecclesia, & suaves depromat melodias. Nam hic Christi confessor eximia sua proles, inter beatorum agmina stellam possidet matutinam, & super Christi mensam cum Angelis ore pleno melle dulcius abditum manna gustat. Jubilare non quiescat plebs catholica: nam accensus calculus, quem ex ejus medio ille intendens Seraphyn tulit forcipe de altari in ea, quæ sursum est Hierusalem, ignitis lapidibus, in quorum medio Rex cælorum ambulat, est conjunctus. Hunc apud Deum advocatum habet, quem fons effluxus perennis jucunde inebriat, abunde faciat lignum vite. Lucundetur insuper religio per ipsum instituta, & in laudes Altissimi organa vocis laxet. Nam hic ejus protector indefessus stola immortalitatis induitur, ac sedens cum principibus, folium gloriæ sempiternæ semper clarum tenet.

§. 27. Verum quia dignum est, ut, quem in cælo sursum Deus glorificat: hic inferius ad suum patrocinium Mundus colat, nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum sancti hujus, de quibus inquiri fecimus diligenter, prudentis examinis discussione adhibita, plenam & firmam certitudinem obtinentes requisisti: Insuper Prelatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium supplicatione humili & devota, de fratrum nostrorum consilio & assensu, consili de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & nostra, ipsum Sanctorum Confessorum cathologo duximus adscribendum.

Sanctorum factus auctoritate.

Festus ejus dies celebrandus.

§. 28. Ideoque universitatem vestram monemus, & hortamur attente per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Kal. Junii festum ejusdem Confessoris devote, ac solemniter celebretis, & faciatis a vestris subditis celebrari, ut ejus pia intercessione, & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis. Amen.

JOANNES XXI. dict. XXII.

P A P A CXCVI. AN. DOM. MCCCXVI.



Jacobus de Ossa, seu de Eusa, patre Arnaldo, Caturcensis, antea Episcopus Foro-Julensis in Provincia, mox Avenionensis, postmodum S. R. E. Cardinalis Portuensis, electus est Lugduni in Summum Pontificem die 7. Aug. anno 1316. & ibidem coronatus est die 5. Septembris anni ejusdem, & Joannes XXII. appellatus. Sedit in Pontificatu annos XVIII. Mefs. vere IV. (a) imperantibus in Oriente duobus Andronicis. Obiit Avenione die 4. Septembris 1334. & sepultus est in Ecclesia Cathedrali B. Mariæ de Donis. Vacavit Sedes dies XV. (b)

Schisma Trigesimum secundum. Die duodecima Maii 1328. Ludovicus Bavarus a Joanne Papa anathematizatus Petro Raynalducii de Vico Corbario, natione Aprutino, Ord-

(a) A die Coronationis numerandos, a qua die annos suos orsum esse Joannem, discrete ostendit Pagus in ejus vita §. 87. (b) Exclusis extremis.